

sare; prout per specialem bullam novissime videlicet 1679, 27 novembris concessit Innocentius XI, *Exponi nobis*.

446. *Et patres societatis ab eorum generali specialiter deputati.* — Pariter ex speciali privilegio possunt dictas litteras exequi patres confessarii societatis Jesu, non quidem omnes, sed illi, qui ab eorum præposito generali, vel de ejus licentia ab aliis societatis superioribus ad id specialiter designati fuerint, etiamsi doctores theologiæ, vel sacrorum canonum non existant. Ita enim expresse per speciale privilegium concessit eisdem Gregorius XIII, 3 aprilis 1582, cujus concessionis tenorem habes infra n. 448.

447. *Necnon alii mendicantes, qui rite designantur a generali.* — Idem possunt ex communicatione cum privilegiis societatis alii mendicantes, ut bene notat Sanchez, l. VIII, disp. 34, num. 11; Roderiq., tom. I, quæst. regula., q. 63, a num. 8, in fine; Justis, lib. I, cap. VIII, n. 103, et alii contra Lezana volentem, dictum privilegium fuisse tantum concessum tunc præsentis generali P. Claudio Aquaviva, et ad successores non transisse, per consequens nec ad alios regulares vi communicationis privilegiorum; in quo tamen Lezana communiter refutatur, et merito; quia pontifex dictum privilegium deputandi aliquos pro executione memoratarum litterarum non concessit nominatim P. Claudio Aquaviva, sed universaliter præposito generali; ac de ejus licentia aliis superioribus societatis; consequenter etiam vi communicationis privilegiorum aliis regularium mendicantium generalibus et de eorum licentia aliis superioribus. Monent tamen Sanchez et Roderiq., loc. cit. quod, sicut alii superiores societatis, ita et aliarum religionum mendicantium superiores quicumque tandem etiam provinciales, nec ipsimet exequi, nec ad exequendum alios deputare possint, nisi ad id licentiam a generali habeant; quia hoc tanquam conditio in concessio privilegio expresse requiritur, uti patet, ex tenore ejusdem ita sonante:

448. « Sed possunt sacerdotes societatis Jesu designati per præpositum generalem aut de ejus licentia per alios superiores societatis, et a locorum ordinariis approbati, vel approbandi, etiamsi nullo gradu sint insigniti, aperire litteras sacræ Pœnitentiariæ destinatas magistris in theologia, vel in jure canonico doctoribus, et auditis confessionibus recurrentium ad ipsos, imposita illis

pœnitentia in litteris expressa, vel de jure infligenda eos absolvere, ac in foro conscientiæ quascunque sibi verbo, vel scripto commissas absolutiones, dispensationes, et pœnitentiarum injunctiones excipere, et exequi. »

Hinc pro majori securitate, commoditate, ac pœnitentium utilitate provide apud societatem introductum est, ut a quovis generali designentur in genere omnes superiores societatis, et alii confessarii ab his specialiter deputandi ad exequendas præfatas litteras; quod, ut in hoc imitentur aliæ religiones, plane optandum esset; ut bene monet loc. cit. Roderiq.

449. *Debet insuper, qui exequi vult litteras esse approbatus ab ordinario. Et quali?* — Secundo vigore clausulæ num. 441, positæ requiritur, ut confessarius sit approbatus in ordinario. Doctores citati, et alii communiter ob clarum verborum tenorem. Non requiritur tamen, quod confessarius sit approbatus ab ordinario pœnitentis, sed sufficit, esse confessarium approbatum ab illo ordinario, in cujus diœcesis fit executio litterarum, prout teste Justis, l. I, cap. VIII, n. 99, declaravit sacra congregatio. Cæterum quia approbatio ordinarii tanquam forma et conditio præscribitur, ita necessaria est, ut invalida sit dispensatio, si fiat a confessario, qui vel nullo, vel ab aliquo quidem, sed non ab ordinario pœnitentis, vel ab illo, in cujus diœcesi sit dispensatio, approbatus est, etiamsi existat famosus, et doctissimus theologiæ doctor; Justis, loc. cit. Sanchez, loc. cit., num. 15.

450. *Idem debet specialiter ad id esse electus a pœnitente.* — Tertio requiritur, ut quis ab oratore, pro quo dispensationis litteræ sunt emanatæ, ad exequendum specialiter sit electus: ita clara verba clausulæ, num. 441, positæ. Ut proin hæc tria copulative requirantur, consequenter etsi quis sit vere doctor theologiæ, aut sacrorum canonum, aut saltem speciali privilegio munitus, sed non approbatus a præfato ordinario, vel etiam approbatus sed non electus, vel electus, sed una ex præfatis conditionibus carens, invalida sit dispensatio. Quod si vero præfatas tres conditiones habeat, valebit dispensatio, etiamsi sit indoctissimus doctor, ut cum aliis bene advertit Sanchez, loc. cit., n. 17.

451. *Qui pœnitens potest variare, et loco jam electi alium eligere.* — Illud tamen circa

certam hanc conditionem notandum, quod, si unus confessarius a pœnitente electus exequi recuset, vel ob nimium rigorem pœnitenti displiceat, possit iste variare, et alium eligere, qui forsitan alterius et benignioris est opinionis; Sanchez, lib. VIII, disp. 27, num. 40; Gutierrez, de *Matrim.*, cap. XXV, num. 18; Lezana, *ŷ. Litteræ apostolicæ*, num. 19; Justis, de *Dispensat.*, lib. I, cap. VIII, n. 122; Corrad., lib. VII, cap. IV, num. 72, dicens, ita sæpe interrogatam sacram Pœnitentiariam ipsamet respondisse. Ratio est, quia commissio pro foro conscientiæ sequitur fori naturam, nisi aliter exprimatur, natura autem fori interni non astringit pœnitentem ad opinionem vel sententiam unius confessarii, sed permittit variare, et aliam eligere; ergo.

452. *In casu extraordinario potest non doctor exequi litteras. Et quando?* — Cæterum dicta hactenus de necessitate trium præfatarum qualitatum in executore intelligenda sunt de via ordinaria: ordinarie enim, seu regulariter loquendo, pœnitentiaria solet committere executionem « discreto viro confessori magistro in theologia, vel decretorum doctori ex approbatis ab ordinario, etc. » Quod si vero dicta pœnitentiaria commissionem, et inscriptionem aliter, et ita faciat « discreto viro confessori ex approbatis ab ordinario » (prout facere potest, et in casu extraordinario solet, si pœnitens proponit, quod in suo loco, ubi degit, nullus confessarius, qui esset doctor in theologia, vel jure reperiri, ac propterea instat, ut alteri fiat commissio juxta dicta num. 427), poterit quivis approbatus ab ordinario, vel alius per litteras specialiter deputatus illas exequi, etsi doctor non sit.

453. *II. Vi clausulæ discretioni tuæ committimus quatenus si ita est, etc. debet confessarius ante dispensationem examinare pœnitentem.* — II. Clausula: « Discretioni tuæ committimus, quatenus si ita est, etc. » vi hujus clausulæ debet executor pœnitentem examinare, et videre, an preces veritate nitantur, v. g. an matrimonium jam sit contractum, an impedimentum sit occultum, an scandala ex separatione verosimiliter sint timenda, vel an alia causa finalis allegata subsistat, etc. et si preces veritate non niti repererit, dispensare non potest; qua veritas preces est conditio requisita ad valorem dispensationis, conditione autem non servata, invalida est dispensatio, juxta con-

nem et certam arg. l. *Diligenter. ff. Mandati et c. Cum dilecta. de Rescript.*

454. *Debet tamen testibus, vel juramento credere pœnitentis.* — Non tamen est necessarium, ut pro informatione adhibeat notarium, vel testes, vel exigat juramentum a pœnitente, sed sufficit ipsum solum examinare; cujus dein dictis fidem habere, et dispensare potest ac debet. Justis, lib. I, cap. VIII, n. 127; Sanchez, lib. VIII, disp. 34, n. 21; Pontius, de *Matrim.*, lib. VIII, cap. XXI, n. 16, et alii communiter. Ratio est; quia, cum dispensatio committatur pro solo secreto foro conscientiæ interno, attenduntur leges dicti fori, in quo creditur soli pœnitenti etiam non juranti.

455. *Nisi extra confessionem contrarium certo sciret.* — Id tamen limita in casu, quo confessarius extra confessionem certo sciret, preces veritate non niti; tunc enim nec deberet, nec valide posset exequi litteras; quantumvis contrarium mentiendo, vel opinando asserat pœnitens. Sanchez, loc. cit.; Justis, loc. cit., n. 129; Lezana, *ŷ. Litteræ Apostolicæ*, n. 23; Diana, p. 8, tract. III, resolut. 108, cum communi arg. cit. l. *Diligenter. ff. Mandati.* cum concordant.

456. *An? et quando prævium pœnitentis examen sit de valore dispensationis?* — Porro si clausula de veritate preces simpliciter ita sonat: « si ita est; vel si preces veritate nitantur, » valida erit dispensatio, etsi confessarius nullum examen pœnitentis præmiserit; dummodo preces veritate ita se habeant, seu a parte rei vere subsistant: si autem clausula ita sonat; « quatenus si ita esse per diligentem oratoris examinationem, etc. inveneris, » invalida foret dispensatio, si executor non præmitteret examen oratoris; quia vi hujus, non autem prioris clausulæ prævium examen, et indagatio de veritate preces tanquam conditio requiritur per dicta supra n. 322 et seq. Et hæc distinctio circa diversitatem præfate clausulæ bene est notanda, quam non advertentes quidam doctores multum discrepant, et inane se fatigant.

457. *III. Clausula Audita prius sacramentali confessione, indicat hujus necessitatem.* — III. Clausula est, audita prius sacramentali confessione: hæc clausula de antiquo stylo non inserebatur dispensationis litteris, et hinc Sanchez, lib. VIII, disp. 34, num. 29. Perez et alii ante novum stylum scribentes, non improbabiliter docuerunt, ad valorem



dispensationis per confessarium faciendæ pro foro interno non prærequiri confessionem sacramentalem. De facto autem certum est, ante executionem debere pœnitentem prius sacramentaliter confiteri confessario debite qualificato, et ad exequendas litteras electo. Corrad., lib. VIII, cap. x, num. 31; Justis, *de Dispensat.*, lib. I, cap. VIII, a num. 105; Gobath, in *Quinar.*, tract. V, cap. xxxvii, n. 176. Ratio est; quia, cum dicta clausula ablativo posita conditionem importet l. a *Testatore* ff. *de Condit. et Demonstrat.* conditio autem formam l. *qui Hæredi*. l. *Mævius*. ff. eod. inevitabiliter ad valorem requiritur c. *Cum dilecta*. 22. *de Rescript.* et l. *Diligenter*. 5. ff. *Mandati*. cum Concord.

458. *Etsi pœnitens jam fuisset confessus.* — Idque procedit, etsi pœnitens prius alteri jam fuerit confessus, et ab incestu, aliisque peccatis absolutus, de facto nullum in conscientia habeat peccatum mortale; quia clausula in ablativo posita per modum conditionis requirit, ut ipse confessarius ad exequendum electus prius in ordine ad exequendas litteras pœnitentiariæ audiat confessionem, consequenter servari debet per jura num. præced. allegata. Nec sublevat, quod pœnitens ab alio jam absolutus, de præsentis non nisi venialia habeat, ad quæ confitenda nemo tenetur, nullumque Ecclesia obligat, nec obligare posset, prout magis theologi. Nam contra est, quod licet absolute loquendo nemo teneatur confiteri venialia, et ad ea confitenda Ecclesia nullum obliget, et forsitan nullum obligare possit, tamen potest Ecclesia ad ea confitenda obligare conditionate, et dicere, quicumque indistincte (consequenter etiam nullo peccato mortali irretitus arg. c. *Quia circa de Privileg.*) vult particeps esse hujus, vel illius specialis gratiæ, et favoris, prius confiteatur sacramentaliter, uti in casu nostro expresse fit.

459. *IV. Clausula in foro conscientiæ tantum, et in ipso actu sacramentalis confessionis, et non aliter, nec alio modo, quando intelligenda?* — *IV.* Accedit clausula, et priorem confirmat, necessitatemque confitendi sacramentaliter ipsi electo ad exequendum confessario subsequens: « in foro conscientiæ, et in ipso actu sacramentalis confessionis, et non aliter, nec alio modo. » Quæ verba tam emphatica et clara sunt ad propositum, ut nullus remanere possit dubitandi locus; præsertim cum dicta clausula,

non aliter, nec alio modo indicet præcisam necessitatem, ita ut prorsus nullam admittat modificationem, vel interpretationem. Jason. in l. *Stipulatus sum*. ff. *de Verb. obligat.* Alex. consil. 3. Barbosa, *de Clausul.* claus. 281. et sæpius Rota cum communi. Cujus consideratione Gobath, licet loc. cit., a n. 183, pluribus rationibus probare conetur, probabile esse, eum, qui nullum habet peccatum mortale, non teneri confiteri, pro obtinenda dispensationis gratia, tamen infra num. 256, id rursus revocare videtur dicens, se non audere praticare doctrinam, quam prius probabilem reputavit.

460. *Non potest fieri dispensatio extra confessionem.* — Et ex his cessat etiam controversia illa, an possit confessarius ad dispensandum electus, extra actum sacramentalis confessionis dispensare; cum enim clausula dupliciter conditionata expresse dicat, quod fieri debeat: « in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, et non aliter, nec alio modo, » palam est, quod fieri nequeat extra confessionem per dicta num. præced. et jura n. 457, allegata. Accedente præsertim dictione tantum, quæ solum includit expressum, et cætera excludit arg. l. *Qui aliena*. § *Libertas*. ff. *de Negot. gest.* cum concord. Et doctores allegati per Barb. *de Diction. Dictione*. 402, n. 2.

461. Hinc caute legendi, et minime sequendi sunt doctores, præsertim ante stylum modernum scribentes, et in materia ista contrarium tenentes, inter quos est Sanchez, lib. VIII, disp. 34, n. 29, quibus vitio vertendum non est, eo quod clausulæ istæ n. 457 et n. 459, positi, juxta antiquum stylum, non erant insertæ litteris dispensationis.

462. *V. Clausula sublata occasione, quomodo intelligenda.* — *V.* Clausula: « Ac sublata occasione, si qua adhuc extat, amplius cum dicta sorore peccandi. » Quæ clausula, quia rursus in ablativo ponitur, conditionem importat, et necessario servari debet per jura supra allegata. Videtur autem hic per occasionem peccandi intelligi occasio proxima: qualis est, si orator cum sorore v. g., uxoris putativæ sæpius peccaret ex eo, quod in eadem domo existat; non item si in aliena, vel in eadem quidem versetur, emendatio tamen jam est facta, ita ut periculum proximum subesse non amplius censeatur, uti bene advertit Gobath, in *Quinar.*, tract. V, cap. xxxvii, n. 189.

463. Cæterum si occasionem adhuc subsistere, ex audita confessione prudenter cognoscit confessarius, debet ante omnia mandare pœnitenti, ut occasionem proximam tollat, et interea, donec occasio actu sublata sit, dispensationem differre; quia clausula expresse, et quidem in ablativo posita consequenter per modum conditionis; arg. l. a *Testatore*. ff. *de Condit. et Demonstrat.* vult, ut antequam dispensetur, occasio actu sit ablata, ibi sublata occasione, consequenter ante actualem ablationem ejusdem dispensari nequit arg. l. *Qui hæredi*. ff. eod., si vero eam ablatam esse, vel obsecutam emendationem, nullum amplius periculum subsistere cognoscit, sub ipso actu sacramentalis confessionis, cum ipso dispensare potest et debet, observata tamen etiam prius sequenti.

464. *VI. Clausula injuncta ei gravi pœnitentia, etc., quomodo intelligenda?* — *VI.* Clausula; « injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentia salutari, ac confessione sacramentali peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur: » quæ clausula rursus in ablativo posita pariter conditionem importat l. a *Testatore*. ff. *de Condit. et Demonstrat.* et consequenter ante dispensationem adimplenda est, saltem quoad impositionem menstruæ confessionis citatæ l. *Mævius*. ff. eod. Non enim apparet, cur minus hæc, quam aliæ conditiones necessario observandæ sint.

465. *Confessarius debet necessario imponere etiam confessionem menstruam.* — Nec movet Sanchez cum dicit, id, quod alias de jure inest (qualis est injungenda pœnitentia in quavis confessione sacramentali) non importare conditionem, consequenter si omittitur, non annullare actum. Resp. enim, quod, licet aliqua pœnitentia in quavis confessione sit injungenda, et consequenter de jure inest; tamen de jure non inest certa ac specificata pœnitentia, videlicet singulis mensibus confitendi; consequenter in ablativo posita æque ac aliæ clausulæ conditionem respectu dispensationis importat.

466. Porro licet olim fuerit in arbitrio confessarii, temperare menstruam confessionem, et loco illius bimestrem v. g. vel et trimestrem injungere juxta Sanchez, lib. VIII, disp. 34, num. 35; Lezana, §. *Litteræ apostolicæ*, n. 26; Diana, p. 8, tract. III, resolut. 109, eo quod juxta antiquum stylum

præfata clausula omissis illis verbis, ut minimum semel fuerit posita; hodie tamen in ejusdem confessarii arbitrio non est, sed debet necessario injungere pœnitenti, ut per totam vitam ad minimum semel in mense confiteatur, eo quod dictio ad minimum idem significet, ac dictio saltem, quæ est implicativa, non limitativa. Barbosa, *de Diction.* dict. 333, num. 6. Gobath, in *Quinar.* cap. xxxvii, num. 213 et 214, qui num. 222, addit, et bene probat, mortaliter peccare pœnitentem toties, quoties in mense aliquo semel confiteri omittit. arg. c. *Ne in agro. de statu Monach.* et a simili de præcepto Ecclesiæ singulis diebus festivis audiendi missam.

467. *Opera pœnitentiæ reliqua sunt de arbitrio confessarii.* — Reliqua tamen salutaris pœnitentiæ gravis opera, quia sacra pœnitentiaria non sunt determinata, censentur relicta prudenti arbitrio confessarii, qui pro diversitate delicti, et personæ eam imponet; ita tamen, ut consideratis considerandis revera gravis sit, et dici possit. Inter pœnitentiæ opera injungenda servire possunt opera religionis v. g., litaniæ. vel ter, aut quinquies pater et ave singulis diebus per unum, duos vel tres annos recitanda, vel singulis septimanis rosarium per totam vitam; item opera charitatis v. g. largitio eleemosyæ juxta illud Daniel. 4: « Peccata tua eleemosynis redime. » Item opera mortificationis v. g., jejunium, vel abstinencia uno vel pluribus diebus in mense, septimana, etc.

468. *VII. A quibusvis sententiis et censuris, etc., absolvas, quomodo intelligenda?* — *VII.* « Quibusvis sententiis, censuris, etc. absolvas in forma Ecclesiæ consueta, » ea scilicet, qua Ecclesia in foro sacramentali uti solet. Gobath, loc. cit., n. 207, citans Bonacin. disp. 4, *de Legib.*, q. 2, p. 2, n. 19.

469. *VIII. Dummodo impedimentum sit occultum, qualiter intelligatur?* — *VIII.* « Dummodo impedimentum præfatum sit occultum; » quæ clausula iterum conditionem, et consequenter id importat, quod si impedimentum jam esset manifestum, dispensatio fieri non posset, et facta invalida foret etiam pro foro interno per jura n. 457, citata. Quando autem dicatur occultum, quando publicum, diximus supra n. 44.

470. *IX. Et separatio fieri non possit absque scandalo, etc., qualiter intelligatur?* — *IX.* « Et separatio inter latorem, et mulie-